

**Epistola anatomica, problematica sexta / Authore Johanne Henrico Graetz,
ad ... Fredericum Ruyschium.**

Contributors

Ruysch, Frederik, 1638-1731.
Graetz, Johannes Henricus, active 1694-1696.

Publication/Creation

Amsterdam : Jansson-Waesberge, '1731' [i.e. 1744?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vq8rqp7x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

EPISTOLA ANATOMICA, PROBLEMATICA SEXTA.

Authore

JOHANNE HENRICO GRÆTZ,

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUYSCHIUM,

Med. Doct. Anatomiae ac Botanices Professorem.

D E

Arteria & Vena Bronchiali , nec non de Polypis Bronchiorum
ejectis, Venæ & Arteriæ Pulmonalis ramos mentientibus.



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.
MDCCXXXI.

EPISTOLA
ANATOMICA. PROBLEMATICA

EXTRACTA

Amphora

JOHANNI HENRICO GRETZ.

Ad Natura Cuiuslibet

FREDERICUM RUSCHIUM.

Ab Dogmatibus ac Dogmatis Prodigiorum

DE

Actibus & Aeneis Bloucquisii, nec non de Polypis Bloucquisius
Glegius, Aeneis & Aeneis Bloucquisius istius medicorum



AMSTERDAMI

Ab Janse van Waeberghe
MDCCXXXI

CELEBERRIME ET EXPERIENTISSIME

VIR

Fautor summopere colendo.

Non tantum nonnulli priorum temporum venerantur Me-
dicos, ut iis cunctarum omnino refum accuratissimam,
& omnibus partibus absolutam tribuant scientiam, ad-
eoque nihil prorsus novissimis hisce seculis dici posse
velint, quod antea ab illis scriptum non fuerit. Quod ipsum si-
cuti præstantia ingenia haud parum occœcavit, & ab ulteriori in-
dagine deterruit, ita vel maxime cognitionem Corporis humani
anatomicam, totius reliquæ, seu Theoreticæ, seu Practicæ Me-
dicinæ fundamentum, tam mancam, tam superficiariam, tam-
que obscuram ad nostrum usque ævum reliquit. Quippe tantum
abest, ut veteribus totius Corporis structuræ mechanismus, vel
partium numerus & situs cognitus fuerit, ut etiam maximam eo-
rum, quæ in illo latent, partem ipsos ignorasse summa asteri pos-
sit ratione, scriptaque ipsorum abunde testentur. Neque enim
tam frequenter & studiose cadavera secarunt humana, debita eo-
rum copia, aliisque ad accuratiorem Anatomiam necessariis re-
quisitis destituti, brutorumque hinc sectionibus plerumque con-
tenti, unde quoque illa erroribus non carent, quæ de partium a-
natomia scriptis suis mandarunt, utpote quæ ut plurimum analogo-
gismo inter Hominis brutorumque corpora, fundamento infir-
mo & per accuratiorem Modernorum autopsiam tantum non
everso, superstruuntur. Non tamen is sum, qui vel Galeno restau-
ratae anatomes gloriam præcipiam, vel ingratus Majorum nostro-
rum studia arrodam; Quin potius venia ipsis danda, benigneque
ignoscendum, sicubi vel gravioribus oceupati studiis vel ob sub-
jectorum penuriam lapsi fuerint, necessariaque quædam prætermi-
ferint. Habent enim Artes quælibet suas ætates, sensimque in-
crementa capiunt, neque uno tempore nascuntur scientiæ & ado-
lescent; Quod quam maxime obtinet in Anatomia, cuius objec-
tum adeo intricatum existit, ut Dædaleum vere dixeris Labyrin-
thum, aditum curioso spectandique cupido patentissimum, exitum
vero difficillimum, si non impossibilem concedens. Ejus arcana

(ut *Senecæ* verba in hunc quoque traham sensum) non promiscue nec omnibus patent; reducta & in interiore Sacrario clausa sunt. Ex quibus haec ætas aliud, aliud, quæ post nos subibit, adspicit ætas. Quanta igitur non reputanda erit illorum malitia, qui in id solum incumbunt, ut Veterum scripta in alium detorqueant sensum, illosque etiam invitatos authores faciant eorum, quæ hactenus latentia studio Anatomicorum nostri ævi indefesso detecta fuerunt. Detestanda haec est illorum consuetudo; qui, cum ipsi nihil ex proprio penu depromere valeant, aliorum Illustrium ingeniorum vellicant & lacerant famam, iisque inventorum gloriam nefando furto præripiunt. Non specialius jam per omnia nostri seculi exempla excurram, neque innumerorum, quibus illud præ aliis superbit ævis, inventorum fata enarrabo, nimis enim jam sunt trita eruditorum manibus, quam ut nunc dænum meum subire debeant calamum. Quin potius, Vir Celeberrime, Tuum ipsius exemplum amplissimam mihi scribendi copiam suggerit. Etenim virtus tua & in anatomicis peritia quemadmodum sine exemplo vere insignis est. ita habet illa quoque suos tum admiratores, tum osores frequentissimos & maximos. Atque horum furor, livorque in tantum sævit, ut illum, quem à multis jam annis Eruditissimi Viri juste Tibi decreverunt, honorem, dubium nunc facere conentur. Vertitur nimirum jam annus trigesimus primus quo primus in *Tractatu Valvularum in vasis lymphaticis & lacteis dilucidationem & quasdam Observationes Anatomicas rariores continente*, Arteriam bronchialem ex vitulo descripsisti & Eruditis communicasti, qui etiam eam ipsam Autopsia deprehendentes, assertum non tantum sed & inventionis ejus gloriam Tibi tribuerunt. Quo non obstante, scrupulosi & invidi Censores dictam arteriam ab Erasistrato, alii à Marchettis jam dum descriptam audacter pronunciant. Cui ipsi asserto, utpote à talibus prolati, quibus aliqua fides & autoritas tribuenda videtur, cum haud paucos tanquam Oraculis ex tripoде dictis assurgere deprehenderim, Antiquorum & Recentium Anatomicorum monumenta è re facientia studiose volvere in animum induxi meum, ut quid tandem veri dicto rumori subsit, manifeste constet. Ac Erasistratum quidem quod attinet, cum scripta ejus temporum injurya perdita sint, Galenum fidelissime dogmata Erasistrati recentem omni studio evolvi, atque longæ inquisitionis labore incidi tandem in *Tractat. de Loc. affect. lib. v. cap. III.* ibique nonnulla, quæ dictæ opinioni patrocinari videntur, de-

pre-

prehendi. Agit autem Galenus I. all. id solummodo, ut inflammations membranæ Pleuræ & Musculorum Thoracis intercostalium tandem suppurari, pusque in cavitatem thoracis effusum quandoque in pulmones & asperam arteriam recipi atque expiri ostendat. Pro determinandis tamen modo & viis, quibus in asperam arteriam aqua mulsa ut pus illud vocat, ingrediatur, illum verbosum fatis & felicem tum in aliorum sententiis refellendis, tum in propria stabienda deprehendo. Erasistrati præprimis placita ad severius revocat examen, huncque in finem ipsissima ejus verba ex Tractat. de sanguin. Educt. allegat, quæ sequentia sunt: *Via* autem; per quam incedunt ea, quæ ab iis sedibus rejiciuntur, hujusmodi est. *Ab ea arteria, quæ spinæ adjacet, vasa quaedam ad utrumque latus, tam dextrum quam sinistrum, similiter procedunt: deinde in loca vicina multiplici divisione dispersa tandem adeo evadunt exigua, ut sensum lateant. Quum itaque sanguis in hujusmodi arterias inciderit, nonnunquam per concavam arteriam ad loca, quæ circa pulmones sunt, atque ad eos nexus, per quos pulmo apud spinam arteriæ conjungitur, ascendit: quippe ea, quæ hoc inciderint, hac via ad pulmonem ascendere solent. Verum quomodo ex pulmone dein rejiciantur, antea dictum. Conqueritur postmodum ipse Galenus de horum Erasistrati verborum obscuritate. Egoque cum illo quærerem ex ipsis Erasistrati asseclis & cultoribus, quid sibi velint ea loca, quae circa pulmones sunt, atque isti nexus, per quos pulmo apud spinam arteriæ conjungatur? Placet hic verba Galeni de Nexibus illis addere: loquitur autem sequentem in modum: *Etenim, si vel per membranas, vel per fibrosa quaedam corpora fiant, ad sanguinis magna contenti arteria in pulmones delationem nibil conferunt: quippe necesse est ex arteria oriri vasa quaedam, per quae sanguis in pulmonem transferatur, quemadmodum Erasistrati secta hoc ipsum per arteriam pulmoni substratam fieri autumat. Hujus enim arteriae extremae partes, & quidem exiguae ad asperam arteriam transire videntur: atqui ipsa quoque ex magna arteria antea, quam ad spinam perveniat, initium sumit. Atque hoc illud est ænigma cui solvendo non ego sane Davus sufficio, sed egregii illi & arguti audiendi sunt Oedipi. Præsto ergo hi sunt atque ex his intricatissimis verbis claram & sufficientissimam Arteriae bronchialis descriptionem extricasse sepe vane jactitant. Verum enim vero, quæ hic est facta ab Erasistrato mentio arteriae cujusdam bronchialis? dum de Nexibus**

quibusdam in genere loquatur. Quæ quælo hujus arteriæ descriptio accuratius ab Erasistrati secta data? Galeni ergo rectius dixissent descriptionem arteriae bronchialis, quicunque tandem Erasistrato illam obtrudunt. Ast nec verba Galeni adeo clara sunt, ut hinc luminis quicquam ad inveniendam quandam arteriam bronchialem cuiquam suboriri possit. Quæ enim ex illis apparet arteriæ dictæ origo clare & specialiter indigata? quis fodes ejus progressus distincte designatus? aut quæ tandem ejus per pulmonis parenchyma diramificatio evidenter explicata? Aut si tandem ex supra allegatis verbis concludere quis vellet, Galeno arteriam bronchialem probe fuisse cognitam, dicat mihi, oblecro, cur ille in aliis suis scriptis Anatomicis, ubi pulmonum vasa ex professo tractat, ejus nullam omnino injecerit mentionem? Testantur ulterius hanc Galeni obscuritatem omnes, quotquot post eum floruerunt, Anatomici, hanc arteriam prorsus silentes, cum tamen alia antiquitatis inventa haud celarint, sed plenis potius deprædicent buccis. Non magis itaque Galeni locus citatus videtur dubiam Tibi reddere palmam, Vir Celeberrime, quam forte Hippocrates de Corde, Stenoni & Lowero, fibrarum cordis musculosarum seriem & ordinem primum exhibentibus, dum, Cor musculum valde fortem, non nervo, sed densitate ac constrictione carnis esse, ait, vel etiam ipse Galenus, Asello & Pecquetto, lacteorum vasorum inventoribus, dum Administrat, Anat. Lib. VI. Cap. VII. loquitur de glandulis mesenterii, ad quas vasa quedam ab iis, quæ ad intestina feruntur, porrigi conspiciantur, ut & cum alibi injicit mentionem vasorum mesenterii lacte nonnumquam repletorum obscurissimam, ut de Administrat. Anat. Lib. VII. Cap. XVI. de Uja Part. Lib. IV. Cap. XVII.

Ex Marchettis vero meliora quis non hauriet, dum Anatom. Cap. X. p. m. 129. satis generaliter adducit observabiles duas, aut tres arterias, ab arteria magna productas, quæ per substantiam pulmonum propagantur. Quippe & hic ubique existunt spissæ nebulæ, negligitque Marchettis quam maxime id, quod accuratioris est anatomici, multumque abest, ut exinde, quod ille ex arteria magna ramos ad pulmones tendere dixit, Anatomici sui & subsequentis temporis Arteriam Bronchiale sectionibus suis demonstrare potuerint, quin potius illam omnes eo usque, donec Tua, Vir Celeberrime, solertia ipsam sole meridiano clariorem exhiberet, ignorasse, fidem faciant eorum scripta, confirmetque idem Magnus Lugduni Aesculapius Sylvius Prax. Lib. I. Cap. XXIV. Interea cum

cum hæc ita se habeant, constetque rationibus plusquam certis. *Arteriam Bronchialem* Te unicum agnoscere inventorum, invitis malevolis; precibus à Te contendo obsequiosissimis velis illi, quod circa ejus historiam mancum adhuc tum reliquisti, proxime ultimam admovere manum, & ostendere verum ejus ortum & per pulmones progressum in Homine, simulque, an nulla inter illam & *Arteriam Pulmonalem* reperiatur anastomosis, ceu hoc observare est in aliis visceribus duplici arteriarum genere instructis, v. gr. in utero inter arterias hypogastricas & spermaticas, in Cerebro inter Caroticas & Vertebrales, &c. Cui simul subnectas quæsto, Vir Celeberrime, tuum de *Vena sociâ bronchiali* judicium, an scil. revera detur, & quis tandem ejus sit exortus. Dubitant enim non pauci de ejos existentia, inter quos ipse est *Galenus*, qui l. all. contra *Erasistrati* opinionis alterum momentum, quo venas ad educendum pus ex thorace in pulmones in auxilium vogat, disputans, in sequentia prorumpit verba; *Verum à magna Vena, quæ Spinae incumbit, venam aliquam in pulmonem transire neque nos unquam vidimus, neque dissectorum quisquam scripsit*, ac ne *Erasistratus* quidem id affirmare autus est: quippe inter omnes convenit, quod à dextro cordis Ventriculo per unum duntaxat vas pulmo sanguinem recipit. Aut si nonnulli in ea admittenda faciles sunt, in determinando tamen ejus ortu & progressu dubii hærent & in contrarias eunt sententias. Accuratissimus nostri temporis Anatomicus *Philippus Verheyen* *Anatom. Tract. III. Cap. IX. p. 145.* *Arteria Bronchialis Venam ejusdem cognominis comitem esse*, ait, *ejus exortam vero sibi non dum satis innotuisse, ingenuo fatetur, inque ove illum reperiisse se communem cum Origine Venæ Coronariæ Cordis*, scribit. *Ds. Bourdon* vero, referente *Eodem*, depingit istam Venam ut immediate à Vena Cava superiori abscedentem.

Gratulabitur sibi Orbis eruditus de Visceris hujus intricatissimi structura, tuis auspiciis plene planeque detecta, in quantum scil. manus *Malpighii* oculatissime intacta nonnulla reliquerunt. Visceris, inquam, hujus intricatissimi, cuius vasorum mirificum & reticularem contextum dum accuratius lustro, citius nodus gordius quam eorum nexus à reliqua pulmonis substantia dissolvi posse mihi videtur. Imo tota potius frustra pulmonum secedent cum vasibus, hocque toto die in Phthisicis contingere observant Practici, vidique ego ipse talia apud *Clariss. D. Limmerum Profess. Athenæi Anhaltini*, quod *Servestæ* est, Praeceptorem meum quondam fidelissimum. Refert

Refert nihilominus *Tulpius Observat. Medic. Lib. II. Cap. XII.*
XIII. duas historias portionis arteriae & Venæ, ab omni substantia pulmonum separatae, tussi reiectæ. Ast benigne ferent Celeberrimi Viri manes, si frustula illa depicta, non venæ neque arteriæ surculos, sed concretiones polypolas in bronchiorum ramis factas credam. Nolo tamen adeo audacter huic sententiæ inhærerere, nisi Tu, Vir Celeberrime, illa ita esse, experientia tua multifaria demonstraveris.

Quod super est, ea, qua possum, humanitate à Te peto, ut æqui bonique consulas meam tum in scribendo prolixitatem, tum in petendo audaciam, ad quam immensus Tuus erga me favor & affectus me compulit, quo etiam fretus, firmissime mihi persuadeo. Te nec Tibi ipsi, nec eruditorum votis, nec meo emolumento defuturum. Vale interim, decus Anatomiae splendidissimum, & favere imposterum perge.

*Virtutum Tuarum Admiratori perpetuo & Cultori
Observantissimo*

E Museo meo Amstelod.

A. 1656. d. 9. August.

JOHANNI HENRICO GRÆTZ.

F R E

FREDERICI RUYSCHII RESPONSIo,

Ad Virum Expertissimum.

D. JOHANNEM HENDRICUM GRÆTZ.

*In Epistolam ejus Anatomicam, Problematicam,
de Arteria & Vena Bronchiali, &c.*

Expertissime Vir

Quod Galenus *Anatom. Administrat. Lib. IV. Cap. I.* jam-
dum de suæ ætatis Medicis dixit, illos, qui quidem con-
fessionibus operam dedisse putantur, utiliore illarum par-
te neglecta, eam, quæ cavillatoria magis est, exercere,
id de præsentis lœculi Medicis aliquibus jure merito-
etiam pronunciari posset. Nam studium contradicendi & ligandi
magis solenne nonnullis est, quam exercitium Anatomicum. Loco
quod alii in Corporis humani structuram indagandam, omnem col-
locent operam, nonnulli Veterum pervagantur scripta, idque fo-
lummodo, ut contradicant. Me quod attinet, libenter ipsis artem
hanc cedo, neque famam hanc invideo. Optarem modo, ut mea me
etiam libertate frui sinant. Hoc enim; si à malevolis impetrem, nun-
quam desinam pro augenda, quantum in me est, cognitione Anato-
mica labores suscipere, atque summum præmium diligentiae meæ es-
timabo si studia alicujus utilitatis in Medicina, & eruditis accepta es-
se intellexero. Neque etiam illos valde curo, qui eatenus quoque
mihi obesse student, dum laborem meum mihi præripiunt, aliisque
attribuunt. Successu id agunt prorsus infelici, & rationibus minime
solidis, ceu etiam latius & nervosius in Epistola Tua, Experien-
tiissime Vir, ix. die Augusti ad me data deducis. Nihil revera ha-
beo, quod argumentis tuis ibi adductis, addam, quam quod

Authores illos, quibus *Arteriae Bronchialis* inventionem tribuunt nonnulli, me tunc ne quidem legisse, sed proprio marte me dictam Arteriam invenisse, sancte testari queam. Quicquid sit, satius esse duxi, Tibi Anatomiae Cultori indefesso, tuisque petitis impræsentiarum satisfacere, quam incertam & mancam inventi mei Historiam relinquere. Doleo equidem summopere, quod, ob Cælum, æstivo hoc tempore, conatibus nostris minus favens, nulla suppeditetur commoda occasio, in cadavere adulto *Arteriam Bronchiale*m delineandi. Tuæ nihilominus, Experientissime Vir, petitioni obtemperatus, *Arteriam* meam *Bronchiale*m ad objectum instantis, quod ad manus erat, & per aliquot annos conservaram, delineare coactus sum, sperans, partium exiguum molem compensatum iri distincta & nitida præparatione & delineatione. Annus jam agitur trigesimus primus, quo hanc Arteriam publici juris feci; ex corpore Vitulino desumptam, nomine *Arteriae Bronchialis* condecoratam, quandoquidem observabam per Bronchia Pulmonum repere ad extremum usque. Ludit autem Natura saepius circa hujus Arteriæ in homine exortum, Aliquando enim immediate illam ex Arteriæ Magnæ ipso Trunko descendente, idque ad latera Arteriarum intercostalium ortam, viderunt multi, ego vero saepissime eam deprehendi progredientem ex infima parte arteriæ inter costalis superioris trunculo, sicuti videre est Tab. 7. Fig. 3. Nonnumquam vero, prout exhibit Tab. 7. Fig. 2. simul cum Arteriâ Intercostali dextri lateris, tertia, ex Aortæ trunko descendente exorsa, semunciae interyallo ab exortu à dicta Arteria Intercostali recedit, Bronchiisque pulmonum annexa, ad extremum usque ea concomitatur. Ita ut ne minimum quendam Asperæ Arteriæ ramum hac *Arteria Bronchiali* destitutum humana industria demonstrari queat. Variis autem locis hæc *Arteria Bronchialis* anastomosisbus associantur ramusculis minutissimis Arteriæ Pulmonalis, ut patet ex Fig. 5. Tab. 7. Repleta enim Arteria Pulmonali ceracea materia, illico quoque repleti conspiciuntur ramuli *Arteriæ Bronchialis*; nullusque dubito, quin hoc vice versa quoque fiat, quamvis id nunquam tentarim. Circa Arteriæ hujus *Bronchialis* comitem Venam, per plures annos anceps dubiusque hæsi, nec adhuc tum eam mihi videre licuit, neque autem eam hic magis necessariam esse, quam in hepate, ubi Arteria Hepatica nullam quoque peculiarem sibi & sociam vendicat Venam. Expectorata Vasa pulmonalia ab omni substantia pulmonali

monali separata quod attinet, talia multoties quoque visa ab aliis, hausi, nunquam vero eadem tussi rejecta offendit. Polyposas autem illas fuisse concretiones, tecum Experientissime Vir, judico. Possumque tales albicantes Vasorum instar ramosos, imo Vasa ad amussim fere æmulantes polypos domi reservatos, unicuique ostendere, ubi quilibet observabit, posse illos facillime imponere observatoribus, nulla enim in re ab arteriis venisque differunt, quam sola cavitatis absentia, cum ubique solidi, durique existant. Verum cum non liceat mihi, pluribus implicito negotiis, prolixius omnia pertractare omnium eorum, quorum breviorem hic injeci mentionem figuratas adjeci, Adornavi autem eas ad objectum adeo accuratissime, ad unicuique sincero, spectandique cupido, illas in præparatis meis luce meridiana distinctiores, me demonstratum promittam.

Cæterum, Experientissime Vir, si qua in re Tibi inservire posse judicaveris mea opera, eam totam studiis Tuis dicatam esse, velim persuasum tibi habeas. Affectum tuum singularem & candidum, quem abunde erga me semper testatus es, quovis officiorum genere remunerare, nullo non tempore studebo. Vale & amare perge illum, quem nosti ex sincere animo.

Totum Tuum

FREDERICUM RUYSCHIUM.

Dab. Amstelodami die
14 Sept. 1659.

B 2

TABU.

T A B U L A H Ä C
quinas exhibet Figuras, quarum

PRIMA Arteriam Bronchialem è pulmone infantis desumptam, indigitat.

SECUNDA Portionem Trunci Arteriæ Magnæ descendantis cum abscissis trunculis Arteriarum Intercostalium, ut & exortum Arteriæ Bronchialis, nec non portionem venæ Azygos demonstrat.

TERTIA Portionem Arteriæ subclaviæ, ut & Arteriam Intercostalem superiorem cum suis trunculis abscissis nec non Arteriam Bronchialem cum Arteria Oesophagea ostendit.

QUARTA Serum fanguinis coagulatum, Polypum vulgo dictum, expectoratione expulfum, sistit.

QUINTA. Ramulum Arteriæ Bronchialis cum annexo ramulo Arteriæ Pulmonalis, cui variis in locis associatur atque unitur, repræsentat.

Figuræ Primæ Indigitatio,

- A. Trunculi Arteriæ Bronchialis è corpore infantis.
B. B. Ramificationes ejusdem Arteriæ.

Figuræ Secundæ Dilucidatio.

- A. Portio Trunci descendantis Arteriæ Magnæ.
B. B. Trunculi Arteriarum Intercostalium abscissi.
C. Exortus Arteriæ Bronchialis è tertia arteria intercostali.
D. Portio Venæ Azygos.

Figuræ Tertiæ Expositio.

- A. Portio Arteriæ subclaviæ, è qua exoritur.
B. Arteria intercostalis superior.
C. Arteria Oesophagea è dicta intercostali oriunda, & hactenus ab Anatomicis neglecta.
D. Arteria Bronchialis abscissa.
E. E. Ramuli arteriosi per faciem interiorem duplicaturæ Pleuræ disseminati, & præsertim per lamellam internam, idque ex infante.

Figuræ Quartæ Explicatio.

- A. Truncus Polypi ex Aspera Arteria rejectus.
B. Ejus ramuli.

Figuræ Quintæ Dilucidatio.

- A. Ramulus Arteriæ Pulmonalis.
B. Ramulus Arteriæ Bronchialis.
C. C. C. Inosculationes ramulorum Arteriæ Pulmonalis, cum Ramulis Arteriæ Bronchialis.





Fig. 4.

